



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Malè aliquos dolere, si quid in honore patiantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

## C A P V T X X X .

*Superbos, Calumniatores, Detractores, & omnes iniustos ac  
impios, merito infamari, & aliquando etiam vtiliter  
rideri.*

I.

**A**udari non cupio, inquies, neque correptionem fugio, si peccavi. Sunt, qui differant nomen innocentis: sunt, qui crimina mihi affingant, de quibus numquam somniaui: sunt, qui, quæ optimâ mente gessi, pessima suspicione interpretentur, virtutibusque nomen imponant vtiiorum. Hoc me vrit, hoc tolerare non possum; hoc apud Deum, mihi non video promeruisse. Ferrem, si vera dicent: si mihi conscius essem, libenter me emendarem. Bene facere, & malè audire, hoc excedit vires meas; hoc caput meum superat. Nec enim video, quid Deus mecum velit. Quò melior sum, eò me peius tractat; ut propemodum satius sit, non esse nimis pium. Probos obtrectatio & caluniae sequuntur; felicitas audace. Talia impatiens iactant diuinorum iudiciorum imperiti; atque idcirco etiam illa desperatissima addunt: Malo nocens esse, si perinde est, siue nocentem affligi, siue innocentem. Agroti vox est ista: medico egit. Atque in primis multi periculosè habent, qui se sanos iudicant: sic plurimi sibi videntur innocentes, qui vitijs scatent. Quis scit igitur, si tibi homines maledicunt, an non tu ipsis maledixisti prius? aut si his non recordaris te maledixisse, fortasse aliorum nomen & famam sàpe aggressus es. Quid ergo mirum, si Deus permittat vnum alterum ué laudes tuas contrahere, cùm tu forte decem aut viginti honestissimorum virorum honorem sis depopulatus? Aut, si linguam in fræno habes, fortasse manibus, fortasse oculis peccauisti, quod merito luas. Crates certè Thebanus dicebat, non inueniri, cuius facta omnia sint, qualia esse oportet, quemadmodum etiam in malo Punico granum aliquod putridum reperitur. Quid gemis ergo, si luis? quid quiritaris, si castigaris? Quis est, qui in verbo non offendit? Quid ergo mirum, si linguae flagellant? iam sentis, quo dolore alios affeceris, cùm & tu eos aculeatissimis dictis flagellares. In summa, quisquis malè vivit, se ipsum infamat, aut fundamentum ponit, ut possit infamari.

De hoc Plu-  
tarch. in  
Apophtheg.  
& Diogen.  
Laërt. in  
Crat.  
Jacob. 3. 1.

TIVIA

Sive